

SCRIPTA

Numéro Scripta : 1865

Auteur(s) : Henri Ier Beauclerc, Angleterre (roi)

Bénéficiaire(s) : Saint-Pierre-sur-Dives, Notre-Dame (abbaye, abbé)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : [...1123-1128...]

Action juridique : confirmation

Langue du texte : latin

Analyse

Henri Ier, roi d'Angleterre, cède à l'abbaye Notre-Dame de Saint-Pierre-sur-Dives toutes terres et possessions que la comtesse Lesceline lui a donné après le décès de son mari Guillaume, comte de Mortain. Le roi confirme également diverses donations faites à cette abbaye.

Tableau de la tradition

Éditions principales

- a. Piolin Paul, Sainte-marthe Denis de, *Gallia Christiana in provincias ecclesiasticas distributa, t. XI*, Paris, Palmé, 1874, Instrumenta ecclesiae Sagiensis, n° VI, col. 157-160.
- b. Sauvage René-Norbert, *Les diplômes d'Henri Ier, roi d'Angleterre et duc de Normandie pour l'abbaye de Saint-Pierre-sur-Dives*, Rouen-Paris, Lestringant-Picard (Mélanges de la Société de l'histoire de Normandie ; 12e série, p. 113-139), 1933, p.

Indications

Cronne Henry Alfred, Johnson Charles, *Regesta Regum Anglo-Normannorum 1066-1154*, vol. 2, *Regesta Henrici primi 1100-1135*, Oxford, Clarendon Press, 1956, n° 1569, p. 222.

Dissertation critique

Texte établi d'après a

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Ego Henricus, Dei gratia rex Anglorum et dux Normannorum, concedo abbatiae sanctæ Mariæ quæ sita est in loco qui dicitur ad sanctum Petrum supra Divam, omnes terras et possessiones suas Lescelina comitissa uxor Willelmi comitis post obitum ejus, concedentibus filiis suis Hugone Lexoviensi episcopo, Roberto et Willelmo comitibus, ad ædificandam eamdem abbatiam dispositus et donavit, et ad corroborandam libertatem ejusdem abbatiae per virgam pastoralem ipsius ecclesiæ in dominium patris mei posuit, atque ab omni filiorum suorum subjectione, et servitio, et exactione liberrimas, et ab eisdem per ducentas auri uncias redemptas ad munimentum et tuitionem ipsius abbatiae, videntibus illis et concedentibus, patri meo donavit. Hoc autem facio pro salute animæ ejusdem Willelmi regis patris mei, et Mathildis reginæ matris meæ, et pro salute animæ meæ uxorumque mearum, Mathildis videlicet reginæ defunctæ, et Adelizis quæ nunc est, et omnium filiorum meorum, et antecessorum atque successorum, parentum videlicet meorum qui fuerunt, et qui sunt, et qui futuri sunt, atque pro salute animæ prædicti comitis Willelmi et Lescelinæ comitissæ, omniumque parentum suorum. Imprimis concedo eidem abbatiae burgum et villam quæ dicitur ad sanctum Petrum supra Divam, cum omnibus appenditiis et redditibus suis, totumque centenarium quod eidem villæ adjacet, et quidquid intra

ipsum centenarium continetur, ea libertate et dignitate qua tenuerunt illud Willelmus comes et Lescelina uxor ejus, scilicet liberum et absolutum, atque quietum ab omnibus exactionibus et consuetudinibus secularibus, de omni quoque gravaria et bernagio, atque servitiis, exceptis expeditionibus, et auxiliis meis, et placitis de moneta, et de expeditione mea ; quæ tamen placita si acciderint in abbatis curia, teneantur sicut fuerunt in curia Willelmi comitis: non solum autem ipsa, sed et omnia alia placita de omnibus querelis hominum suorum in abbatis curia teneantur, excepto bello si ortum fuerit, de placito monetæ, quod quidem in abbatis curia judicetur, sed apud arcum monetæ terminetur. Nemo autem justitiariorum meorum præsumat violenter cogere abbatem ad placitandum extra curiam suam, nisi tale placitum fuerit, quod in præsentia mea debeat terminari ; nullus etiam præsumat abbatiam namnis inquietare, nisi clamore facto apud abbatem, et illo justitiam et rectitudinem facere nolente, meus proprius justitiarius inde requiretur, qui super omnes alias vice mea justitiam tenet: de incendio vero, et rapto et murdro, si aliquis convictus fuerit, omnem pecuniam ejus abbas habebit, sed corpus illius justitiae meæ reddet ; quidquid autem super terram repertum fuerit, quidquid illud sit abbas habebit: si vero aurum vel argentum, sive cuprum, sive plumbum, seu aliud aliquid ad monetam pertinens subtus terram repertum fuerit, meum erit: porro forestæ quæ sunt intra centenarium, propriæ sunt abbatiae, et ubicumque est vel fuerit quercus vel fagus intra centenarium, propria erit abbatis et monachorum, remota consuetudine alterius hominis, quemadmodum fuerunt Willelmi comitis et Lescelinæ comitissæ uxoris ejus: quod si latro intra centenarium captus fuerit, reddetur abbatii ; et si bellum ortum fuerit, de qualicumque causa vel querela, in abbatis curia tenebitur, et emendatio forisfacturæ sua erit, sicut fuit Willelmi comitis Extra centenarium vero concedo eidem abbatiae quidquid prædicta Lescelina comitissa habuit apud Donvillam et Tenvillam, et apud S. Albinum supra Alegot, et quod acquisitum vel appretiatum fuit ibidem tempore patris mei, in terris, in ecclesiis, in decimis, et molendinum de S Albino, et ecclesiæ et cimeteria de Novio et de Frasneyo, cum decimis ad se pertinentibus, et terram Rogerii de Belmeis quam dedit eidem abbatiae, quando factus est in ea monachus, et terram quam eadem comitissa habuit apud Currulinum, cum duobus tractibus in Sequana, et terram quam Osmundus Gulafra et Nigellus de Veteriponte tenuerunt in Buxeo de eadem comitissa, et terram Nigelli de Hermovilla concedo in dominium eidem abbatiae sicut pater meus fecit ; et hæc omnes terræ liberæ sunt et immunes atque quietæ de gravaria et bernagio. Concedo etiam terram quam Richardus de Curfeio tenuit de eadem comitissa in Macel, et in Jort, et in Pont, et in Bodevilla, et Caldetota, et in Almovilla, et in Novilluna, et in Revillum, et Frasneyo, et in Bufort, et si quid superest de feudo Alomovillæ. Concedo adhuc omnia alodia quæ tenuit Nigellus de Veteri-ponte de eadem comitissa, a fluvio qui Diva dicitur usque ad alium fluvium qui Vicia vocatur, quæ alodia tenuerat Rogerius de Breteville, et Anseredus cognomento Feltvel, et Fulco de Castellione. Concedo etiam sexaginta acras terræ in territorio de Breteville, quas Aitardus de Nonant vendidit comitissæ, et abbas Ainardus concedit præfato Aitardo tenere in feudum de abbatia. Adhuc concedo terram et decimam quam Willelmus filius Guarini dedit abbatiae, cum illa parte quam habebat in ecclesia de Breteville, et terram Radulfi filii Odelinæ, et terram Osmundi Februarii quas habuerat in Huivilla, et terram Atonis quam habuit in Buxeo, quas idem Aitardus dedit abbatiae, et terram Rogerii nigri quam habuit in Breteville et apud Victum et Castellionem, terram quoque quam ipsa comitissa habuit in Ovilla et in Menil geruseum, et terram quam Gonduinus habuit in Culleio et in Breteville, quæ dedit abbatiae quando factus est in ea monachus, concedente Gaufrido de Tornebu, de quo illam tenebat ; terram quoque Henrici quam tenuit de Rainaldo de Veteri-ponte, et quam idem Rainaldus dedit abbatiae nutu patris mei cum fieret monachus: hæc terræ liberæ sunt et quietæ de gravaria et bernagio. Concedo etiam ecclesiam de Felt cum terra et decimis ad illam pertinentibus, liberam et quietam ab omni episcopali consuetudine, sicut tenuit eam Stephanus capellanus patris mei, et telonium hominum abbatiae ibidem manentium, ubicumque emerint vel vendiderint per totam leugam Oximarum, et terram unius villani apud Corlandum, id est triginta acras terræ, liberam et absolutam ab omnibus servitiis. Concedo quoque ipsi ecclesiæ per totam terram meam, libertatem et immunitatem de telonio et passagio, et omnibus consuetudinibus, et pastionem propriis porcis abbatiae in forestis meis sine pasnagio. Concedo etiam quidquid Fulco de Pinu donavit et vendidit abbatiae tempore patris mei, tam in ecclesia quam in terra, et decem acras terræ quas dedit uxor Richardi de Catefanvill de maritagio suo, nutu Richardi de sancto Leonardo fratrissui. Concedo quoque ecclesias de Alnout quas dederunt Fulco senex de Alnout et Guillelmus de Bona-valle, et ecclesiam de veteri Eurou cum una acra terræ, et ecclesiam sancti Nicolai [de Treceio] cum terris et decimis ad istas ecclesias pertinentibus, et duas partes decimæ de parochia sancti Lotharii et de Nonantel, et de Cordajo, et tres acras terræ apud sanctum Lotharium, et unam in Nonantel, unam quoque domum quietam in Escuseio, quam dedit Hugo senex de Gornaco et successores sui concesserunt, et aliam in Oximiis. Concedo etiam ecclesiam de Frasneio cum cœmeterio suo, et terram et decimam quæ ad eam pertinet, et quam Richardus de Curseio dedit abbatiae tempore patris mei, et decimam de Corlibeuf. Concedo quoque ecclesiam sancti Georgii et sexaginta acras terræ, quas Gislebertus Guernet tenuit de

feudo de Escoz, et terram Rogerii presbyteri, et ecclesias de Novilla cum terra et decimis suis, et ecclesiam de Gisaico cum decimis suis, et quidquid ad eam pertinet, et decimam telonei de Archenvilla et de burgo Tuvoldi, et alodium quod tenebat Goalterius Tirel in eodem burgo, liberum et quietum de telonio et omnibus servitiis et consuetudinibus. Concedo quoque terram unius villani apud Lovigneum, et tres acras terræ juxta Cadomum, quas dederunt Hugo de Grentemenil et uxor ejus, et Gosselinus filius Richardi, concedentibus filiis et filiabus suis. Adhuc concedo sexaginta acras terræ quas Guillelmus comes Algensis dedit abbatiae in territorio Baselchiarum, cum decima molendinorum ipsius villæ, et una masura in Ultero-portu, et terram de Linceou quam Robertus filius Alveredi de Fallesia dedit ecclesiæ, et terram quam Richardus filius Hugolini dedit nutu Roberti et Willelmi Algensium comitum, cum fieret monachus ; eleemosynas quoque terræ quas dederunt Guillelmus de Perseio et alii, in territorio Cocunillæ et Ulvillæ, et decimam de Hurtevant quam dedit Nigellus de Olleio, et decimam de nundinis sancti Georgii, et decimam molendinorum Ernaldi de Perseio, que sunt apud Mortuam aquam. Concedo etiam ut abbatia habeat et teneat guarennam per totum centenarium et per omnia confinia centenarii quæ sunt de feudo ecclesiæ, a Diva fluvio usque ad Viciam fluvium, sicut eam habuerat Guillelmus comes et Lescelina comitissa. Concedo quoque ipsi ecclesiæ tenere in pace omnia vadimonia sua ubicumque sunt vel facta fuerint, quousque pecunia vadimoniorum reddatur terminis constitutis. Concedo adhuc terram quam Rogerius de Guitot dedit eidem abbatiae in Lovigneio juxta Curseum, et decimam totius terræ quam habebat in territorio ejusdem villæ, et pratum et terram quam dederat Radulfus de Astein, et Gislebertus filius ejus, et Willelmus de Cantalou, ultra Viciam fluvium, et successores eorum concesserunt. Confirmo etiam donationem quam Robertus de Veteri-ponte fecit abbatiae nutu et consilio patris mei, de ecclesia de Veteri-ponte et de [duodecim] acris terræ, quando factus est in ea monachus: et concedo ecclesiam sancti Leonardi de Silleio, quam pater meus dedit abbatiae cum terra quæ sibi adjacet ad colendum, tempore Ainardi abbatis. Signum † Henrici regis Anglorum. Signum † Adelizis reginæ. Signum † Goesfredi Rothomagensis archiepiscopi. Signum † Joannis episcopi Lexovii. Signum † Bernardi episcopi sancti Davit. Signum † Hunfredi de Bohon. Signum † Rotberti comitis Legestriæ. Signum † Nigelli de [Aubigny]. Signum † Juelli de Meduana. Signum † Roberti de Haia. Signum † Rogerii vicecomitis. Signum † Goesfridi filii Pagani.